



Samelbd.

010

de,

62
DE
CERTAMINVM
SCHOLASTICORVM PRETIO

—
DISPVATIO SCHOLASTICA

QVA

AD SOLEMNEM IV. IUVENVM IN DECLAMANDO
EXERCITATIONEM

BENIVOLE AVDIENDAM


HVMANISSIME INVITAT

CAROLVS HENRICVS SENTENIS

AA. LL. M. LYCEI TORGAVIENS. RECTOR.



LIPSIAE,
IN OFFICINA IACOBÆERIANA.
MDCCLXXVIII.



„**M**ir haben die gewöhnlichen Mittel, wie man die Jugend in Schu-
len in Studien zu fördern sucht, niemals gefallen wollen. Ich
„rechne dahin unter andern auch dieses, daß man, vermittelst des so ge-
„nannten *Certirens*, den Schülern nach ihren *Profectibus* höhere, oder
„niedere *Sesörter* in der Classe anweist. Ich habe befunden, daß dieses
„*Certiren* das Beste des Ganzen sehr hindert, und einer Classe überhaupt
„mehr schädlich, als nützlich ist. Genies, und solche, die etwa in den
„Studien zufälliger Weise etwas weiter, als andere, sind, schwimmen
„alsdenn allemal oben, und haben eine Art von Schadenfreude, wenn sie
„andere unten sitzen sehen. Schwache, aber doch sehr mittelmäßige Kö-
„pfe, werden aufs äußerste niedergeschlagen, wenn sie sich alle ersinnliche
„Mühe gegeben, um höher zu kommen, und doch mit einer Art von *Chan-*
„*de* die untersten Stellen einnehmen müssen. Kurz: durch das *Certiren*
„wird nicht der Fleiß der Classe überhaupt, sondern nur das vorzügliche
„Geistestalent eines und des andern einzelnen Schülers, belohnt, wovon
„jenes zweckwidrig, dieses aber unschicklich ist, indem man Gaben Gottes
„zwar schätzen kann, und soll, aber eigentlich nicht belohnen muß.“

His tandem anno superiori parte XXXIII. Lipsiensis, rerum intelli-
gentia communi dignissimarum, commentarii, meae sciendi cu-
pitudini quodammodo respondebatur, quae sane permagna erat,
orta exinde, quod eiusdem scripti publici parte XXIV. qua *Seminarii Vi-*
tembergensis scholastici ratio atque indoles describebatur, disputationis cu-
iusdam

iusdam, contra vsum *Certaminum*, in multis scholis receptorum, breui tunc temporis promulgandae, mentio erat facta. Ipsum institutum, quod *Vittembergae* Seminarii scholastici nomine inclaruit, cuiusque curam gerit *Vir*, et in omni Humanitatis parte, et in prudentissima illius tractandae disciplina facile exercitatissimus, tam insignis, tamque eximia est praeslantiae atque vtilitatis, vt Patriae Suauissimae amantissimus quisque nil fere aliud maiori ardentiorique desiderio optet, nisi, vt plura eiusdem conditionis, publicam salutem spectantia, incantur consilia, atque fieri possit, vt simili assiduitate *rusticorum*, qui sane infelicissimi hac ex parte parentes sunt, liberis, sartoribus atque futoribus (miserrimis certe *Religionis Sanctissimae* ministris!) quam saepissime traditis, consulatur atque prospiciatur, sicut iam *Tellerus*, Berolinensis, inclytae famae, instituisse fertur. Multi, qui in scholis, et publicis, et priuatis, erudiendae iuuentuti operam dant, gratissimo animo fatentur, se multa, quae ad fingendos poliendosque puerorum atque iuuentum animos conferant, huic exercitationi debere, qua scholasticae, eiusque saluberrimae, docendi rationis cognitione imbuti sint, et ipsi pueri, quibus contingit, esse tam felices, vt hac in schola nutriantur, tanta diligentia, tantaque fide instituuntur, vt fundamentis non neglectis, sine vilo periculo ad grauiora altioraque progredi possint. Omnibus igitur, qui exquisitae, nequaquam vero nostrae aetati delicatae atque molli blandientis, institutionis iusti aestimatores Censoresque sint, haud dubie gratissimum fuit, copiosorem maxime frugiferi huius, rei scholarum augendae, remedii descriptionem, publicis literis inferam, legere, his maxime temporibus, quibus seria, ardua, et vere vtilia, cedere coguntur lusibus, nugis, atque crepundiis. Sed in eadem *Seminarii Vittembergensis* recensione cum profectuum puerorum, ibidem instituendorum, lactiora incrementa iure meritoque vindicarentur *certaminibus*, quae dicuntur, *scholasticis*, obseruatione addita promittebatur lectoribus diatribae, quae, de *grauissimis incitamenti huius scholastici incommodis atque periculis* agens, in lucem adspectumque emittenda esset. Prodiit tandem haec commentatiuncula, diu a me exspectata, et verbis exprimi non potest, quanta auiditate illam perlegerim, sed longe alia, eaque non contemnenda, licet non noua, tractans, in transitu tantum, verbis iisdem, quae initio huius disputationis praemunita leguntur, reprehendebat morem scholarum, quo sollertibus atque industriis disciplinae alumnis altiora dignioraque loca conceduntur. Continebat scriptum illud, id quod lubentissimo animo fateor, nonnullas argumentationes, quae, ob magnam

magnam veri speciem, haud parvam vim habere videbantur, ad suspitionem aliquam *his luctationibus scholasticis* contrahendam, sed, quoniam non tantae erant grauitatis, tantique ponderis, vt nihil omnino ad illas minuendas reiiciendasque afferri posset, mihi in praesenti animus est, causam *certaminum scholasticorum* suscipere. Non noui aduersarium, sed Vir quidam, et muneris sanctitate, et *accurata* eruditione, non *ingeniosa* tantum, *Summe Reuerendus*, me certiozem fecit, illum in pago quodam Sacra administranda curare, et, non solum ob late diffusam atque patentem doctrinam, *quae inter rusticos, vastos, atque agrestes permultis superflua videatur*, sed etiam ob cognitionem rei scholasticae, *ipso usu* acquisitam, vera obseruantia esse prosequendum. Est sane, quod mihi gratuler de tali aduersario, qui, haud inscius dicti *Senecae*, *non est, quod timeas, ne operam perdidideris, si tibi didicisti*, quae ipsi contra formam scholarum hodiernam monenda sunt visa, nulla arrogantia inflatus, aut portentosa scientiae ostentatione se venditans, (qua plurimi, sibi sapientissimi, et mordacibus dictis plus gloriantes, quam *Hannibal* victoria ad *Trafimenum*, et ad *Cannas*, os nobis offerunt,) sed omni, quae verum eruditum decet, lenitate atque mansuetudine, iudicanda proponit. Hinc debita humanitate atque modestia cum illo agam, spe fretus, fore, vt, oculis eius si subiici huic prolesioni contigerit, aut facilem et aequum se mihi praebeat in concedenda veritate, aut, si contrariis argumentis non integre et absolute satisfecisse ipsi videar, pari beniuolentia mihi respondeat. Series tractandorum haec erit, primum *comprobabo*, vtilitatem *certaminum scholasticorum* haud esse contemnendam, deinde eandem *collustrabo* ex antiquitatum graecarum monumentis, et postremo denique *argumentationibus*, quas Aduersarius Doctissimus struxit, *refutandis infringendisque studebo*. Reliquos *Lesores Humanissimos*, ad quos non proxime pertinet haec disputatio, decenter oro rogoque, vt sine vilo partium studio, infensissimo veritati inimico, vtriusque sententiae rationes examinent, illique faueant, quae ipsis assensu dignissima videatur.

Auctore suaforeque *CICERONE*, *verus, perfectus, immo solus orator qui esse velit, dum Aristotelio more de omnibus rebus in vitramque sententiam possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, praecipis illius cognitis, explicare, aut dum Arcefilae modo et Carneadis, contra omne, quod propositum sit, disserat, eum ingenii, atque facultatis in dicendo exercendae causa, in hoc argumento, in quo versetur praefens prolesio, periculum esse facturum, non est, quod negem.* Nam quot,

quantaque sunt commoda, quae *Certaminum scholasticorum* vsum omnibus palaestrae magistris, a sapientiorum maiorum vestigijs nunquam inconsulto et incaute recedentibus, iterum iterumque commendat, tot, tantaque sunt detrimenta, quae iisdem *exercitationibus scholasticis*, magna veritatis specie, affingi posse videntur, vt omnium fere, quae ab oratore eligi possint, argumentorum, in vtramque partem tractandorum, facillimum constituant. Mihi tamen hanc palmam praeripiat, quicumque velit. Ego, omnibus, quae contra vtilitatem *Certaminum scholasticorum* aut vere disputata sunt, aut disputari possunt, accuratius atque diligentius iudicatis, persuasissimum habeo, non solum permulta esse, quae pro illis retinendis, aut ordinandis, dici possint, sed etiam omnia, quae ad eleuandam minuendamque illorum laudem proferantur, esse eiusmodi, vt sat acuto iudicio, ad illa infirmanda atque conuellenda, opus sit. Iam videamus de illis rationibus, quae ad comprobendam *moris huius scholastici vtilitatem* plurimum conferunt, de his, quae illi inuidiam atque contemptum conflare posse censentur, paulo infra dicemus. *Tria* in promptu habeo argumenta, quae, si ea, qua par est, animi attentione perpenduntur, tam eximiae sunt grauitatis, vt non sine nimia seueritate, siue potius acerbitate, dubites, quin *certamina scholastica* admodum sint frugifera. Primum quidem hoc est, *alunt aemulationem*. Hoc ingenuum, hoc generosum, omnes, quos in sua quemque arte excellentissimos peritissimosque iudicamus, imitandi, et, si fieri potest, superandi studium, quoniam sensus interni admianiculo cognoscimus, nobis a natura, omnium rerum beniuola matre, quosdam quasi virtutis, honestatis, rerumque praestantissimarum igniculos esse inditos, qui excitentur atque inflammentur, si alios conspiciendos videamus, admitemur, atque veneremur, ingenium nostrum teste *Velleio Paterculo*, in dies optimarum saluberrimarumque doctrinarum artiumque cultura acuit, et alit, literisque instruit atque ornat, vbi vero nullus *aemulationi* locus est, vbi magna et praeclara exempla nusquam conspiciuntur, quae stimulos, imitationisque incitamenta adhibeant, ibi studium alios consequendi tepet, virtutumque igniculi, ab ipsa natura dati, sensim paulatimque exstinguuntur. *Thucydides*, *Herodotum*, historiam suam praegentem, audiens, cum plorat, *Alexander*, cum, facta verbis expugnatione, aut victoria a patre reportata, inter aequales exclamat: *O amici, omnia nobis praeripiet pater, nec quidquam magnificum gerendum relinquet!* et *Iulius Caesar*, cum, in Hispania, animaduersa apud Herculis templum *Alexandri M.* imagine, lacrimas profundit, et amicis, causam

sam illarum quaerentibus, respondet: *nonne idonea dolendi causa est, quod nihil praeclari egi, eam adeptus aetatem, qua Alexander multa regna vincendo peragravit?* quis est, cui non amore dignissimi videantur? quis negat, maximam de illis spem esse concipiendam? Haec vis vero, quam in omnium haud illiberalium hominum animis exerit *aemulatio*, licet per se magna sit, verbis tamen non satis describi potest, quam mirum adiuuet in scholis omnis disciplinae maturitatem. Qui enim in formandis, et puerorum, et iuuenum, animis in scholis occupati sunt, aut, qui aliquam modo animi iuuenilis, eiusque indolis, cognitionem tenent, iis mecum conuenit, nihil omnino inueniri, de quo magistris maiori studio, maioriq; assiduitate sit laborandum, quam, ut discipulos, ipsorum fidei atque institutioni commissos, eo perducant, ut *alter alterum* ad virtutis literarumque amorem atque cupiditatem in dies incendat. Mutuae amicitiae vinculum tam arcte illos constringit, ut animi illorum non solum frequenti consensu conspirent, sed etiam, pro naturali in aequales propensione, multo maiori amore in commilitones, eorumque exempla, quam in magistros, ferantur. Quicquid in illis animaduertunt, aut ex illis audiunt, id multo altiores in ipsorum animis agit radices, memoriaeque grauius insculpitur, quam quod praeceptorum monitis, cohortationibus, quid? quod, iussibus iniungitur, et, verbo ut omnia dicam, illorum imitationi plus tribuunt, quam magistris. Nihil igitur est praetermittendum, quod eo spectet, ut probitatis, bonarumque artium ardorem *ipsi* pueri atque iuuenes in animis sibi inuicem inflamment, et semper in optatis habui, ut prudentissimis Viris, qui scholis, in meliorem salubrioremque conditionem redigendis, operam studiumque consecrarunt, omnium maxime animum ad id appellere placuisset, quo *plura huius Aemulationis incitamenta suaderent*. Illius ope, non neglecta religione, superantur omnes, quae cum munere scholastico, ex parte discipulorum, copulatae dicuntur molestiae atque difficultates, non opus est frequentibus admonitionibus, (quibus per se non tanta vis est, quanta exemplis,) et poenis, illiberalis, inhonestae, et in bestias potius, quam in homines, cadentis, emendationis remediis, praeceptor superfedere potest. Ipsi disciplinae alumni sponte se premunt, ipsi vrgent opus, alter alteri calcaria addit, et omnes, coniunctis viribus, augent laetitiam, qua erigatur et recreetur onere afflictus atque subactus magister. Iam vero *Certamina scholastica* optima excitandae atque alendae *aemulationis* huius esse subsidia, non quilibet rerum scholasticarum peritior sponte sua mihi largietur? immo vero iniuriam illi facturum

cturum me putem, nisi existimem; illum, dum finem scholarum sollertius perpenderit, optare, ut huiusmodi inuitamenta in omnibus ludis influantur. Languescentis, fordidae, immo abiectissimae indolis sit mihi iste puer atque iuuenis, qui, pigritiae atque desidiaie somno sopitus, et in locum inferiorem detrusus, non euigilet, alacris contra, liberalis, et generosi ingenii discipulus, ad altiore, dignioremque gradum euectus, videas, quo studio, qua cupiditate, quo ardore flagret! Quid plura? audiamus *Quintilianum*, qui, suo exemplo edoctus, *aemulationem* praecipuam scholarum *publicarum* dotem nominat, *certamina* vero optimum illius impulsum. Locus, qui legitur lib. I. cap. 3. tam luculentus, tamque insignis est, ut non possim, quin illum integrum addam. *Audiet, inquit, puer in schola quotidie multa probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria, excitabitur laude aemulatio, turps ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores. Accedunt haec omnia animos. Non inutile scio seruatum esse a praecceptoribus meis morem, qui, cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant, et ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur.* ID NOBIS MAIORES AD STUDIA DICENDI PAGES SVBDIDISSE, QVAM EXHORTATIONES DOCENTIVM, PAEDAGOGORVM CVSTODIAM, VOTA PARENTVM, QVANTVM ANIMI MEI CONIECTVRA COLLIGERE POSSVM, CONTENDERIM. His igitur, quae non solum ex naturali bonae aemulationis in omnium hominum animis vi, et ex interiori iuuentutis indole sunt deriuata, sed etiam splendidiſſimo Eloquentiae Romanae inflauratoris exemplo collustrata, simul sumtis, quis tantae austeritatis, tamque remoti ab omni facilitate animi est, quin mihi concedat, vtilitatem, quam ludis afferant *certamina*, multo maiorem praestantioremque esse, quam, quae a plurimis recentiorum, qui dicuntur, scholarum emendatorum consiliis, in dulci somnio, speranda putetur? Age, progrediamur ad alterum argumentum, quod idem confirmat, *accenditur illis attentio in lectionibus ipsiſ.* At vero quid attentio? nonne nostra, eaque multo feliciori aetate, a viris maxime reconditae, et reliquorum hominum captum in immensum superantis intelligentiae, sapientissima saluberrimaque remedia sunt inuenta, quae istam inimicam iuuentuti, omnibus bonis literis atque artibus nil, nisi acerbitatem, adspergentem, a scholis retinent atque cohibent? quis e nostro Sapientum grege eo inhumanitatis, quid? quod, crudelitatis, in pueros atque iuuenes progreditur,

grediatur, vt ab vnoquoque horum postulet, vt locum quendam in subfello, nullo puluinari instructo, et tristi, squalidae, punctis ac maculis atramentarii inquinatae mensae scholasticae apposito, occupet, vt oculos libro euoluto infixos habeat, aut ex ore magistri pendeat, vt, tanquam machina, omni mouendi facultate se abdicet, et familiaris cum proximo colloqui suauitate atque dulcedine abstineat? quis cruciatus? quae tormenta iuuentutis? *ambulandum* est cum discipulis, *iocandum*, *ludendum*, *saltandum*, *epulandum*, *bibendum*, et quae sint reliquae artes disciplinae recens excogitatae. Horrenda sane aetatis nostrae ludibria! indignae Musarum castarum, sobriarum, immo sanctarum, illusiones! quid efficietis, vos, istiusmodi artificis? quid vobis propositum habuistis, vos, qui tali ratione scholis auctores suafresque esse voluistis? apage, ne polluantur Sanctissimae Spiritus diuini officinae! apage, ne placidae bonarum artium sedes mutantur in tabernas compransorum, et collasorum, siue ganeas! Religiosissimus quisque instituentiae iuuentutis magister luget aetatem, quae *aliquos* saltem parentes tulit, qui, neglectu liberorum, aurent culpam, vt ingrauescat ratio Deo reddenda, et, quicquid in ipsius potestate atque iuuenum, ipsius fidei commissorum, ingenia ferre videantur, certae, accuratae, et exquisitae institutioni operam det, certissime persuasus, eam modo iuuentutis erudiendae saluberrimam fructuosissimamque esse rationem, quae laboriosa et assidua exercitatione ingeniorum iuuenilium alacritatem, et quasi lasciuiam, sic fatiget, vt maturam, eamque iustam, familiaritatem cum seuera ac rigida literarum indole atque disciplina contrahant. Hinc nihil prius, nihil antiquius habet, quam, vt excitet atque incendat discipulorum *attentionem*, in quo credi vix potest, quanta aegritudine in magistri, eiusque institutionis potestatem redigantur. Impatientes omnis tarditatis, semper elabi, semper expedire se aliquo saltucupiant, imaginandi facultas, quae in ineunte aetate inaximas vires, vt conflat, exferit, illos quam saepissime distrahit, res, sensuum externorum ope percipiendae, quia inter pueros nouitatis, atque insolentiae fauore nituntur, mentem illorum ab agitatione liberaliori auocant, lepida arrogantia, et nimia fiducia, qua rem, cui vis intelligendi est applicanda, iam percepisse temere sibi persuadent, haud raro illos ab acriori contentione retinet, et, licet oculi illorum non desistant a praeceptore, aut a libro inspiciendo, inopinatae tamen quaestiones,

B

quibus

quibus opprimuntur, illarumque responsiones comprobant, quam parum saepe numero praesentes fuerint animis. Omnia igitur sunt suscipienda, ut mentem rei tractandae semper habeant intentam, neque quidquam est, quod non experiatur et periculetur bonus magister, ut audientium animos colligat, eosque collectos ad rem intelligendam deducat. Inseruit illorum captui, ne difficultatibus, virium auditorum mensuram excedentibus, ipsos deterreat, aut rei discendae fastidium creet, refert omnia, quae possunt, ad vitae usum quotidianae, illis ut exinde lux affulgeat, studet exemplis, doctrinam tradendam suauitate condientibus, vititur collationibus, a rebus in sensus incurrentibus petitis, grauer commendat scientiae utilitatem, atque necessitatem, mutat maxima celeritate quaestiones, et partes respondentium, inspergit iocos muneris sui dignitati conuenientes, laudat industrios, carpit negligentes, hortatur pigros, et quidem haec omnia tanto, non tam studio, quam potius feruore, ut discipulis ne minimum quidem animi relaxandi concedatur otium. Sed licet haec, quae ex multo pluribus attentionis excitandae subsidiis, ab *Reseruitio* nuper in commentationibus de re scholastica emendanda ex instituto peruestigatis, recensimus, usu sint probatissima, multumque conducant, ut praeceptor officii scholastici commoda praeslet, certe tamen non tantam habent in puerorum atque iuuenum animis vim, quantam *Certaminibus*, de quibus in praesenti sermo est, vindicem. Honesta ambitio quomodo adiuuat mentem! quid confert ad rei interpretandae notas sollicitate imprimendas! timor, ne in inferiorem locum descendere cogatur iuuenis, quos stimulos illi admouet! gaudium vero, inde ortum, quod in altiorem sublimioremque gradum ascendere potest, quomodo pectus mouet! quomodo cordis pulsus incitat! non fugiunt huiusmodi iuuenes salebras, sed contemnunt illas, non student in lectionibus relaxationi mentis, sed toti sunt in audiendo, non tractant aliena, sed remouent. *Quorum oculos*, ut cum Cicerone loquar, *virtutis splendor occupauit, gloriaeque studium animos delinuit, ii nec laborem sentiunt, et, si tantus est, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnopere mouentur.* Num igitur credam, quemquam mirari, quid sit, quod ego *Certamina Scholastica* tantopere commendem? nemo, nisi qui scholas in loca deliciarum atque amoenitatum permutandas censeat, ad quae *fortasse* non minor quidem, sed *certissime* longe alia *attentio* est asserenda, mihi succensebit, quod tantum pretium his *Ludationibus*, multorum ludorum more receptis,

ceptis, posui. Tertium argumentum, quod restat, non leuioris est ponderis, *iniungunt praeparationis atque repetitionis necessitatem*. Haud scio, an hic in sinu rursus me rideant isti, qui magna loquacitate, sed nimis exigua sapientia, atque cautione, rebus scholarum consulturos se putent, quod, pro consuetudine bonorum maiorum, et contra omnem praesentis, eiusque multo pluribus intelligentiae radiis collustratae, aetatis indolem, siue commoditatem, atque molliem, huius vtriusque virtutis scholasticae assiduam exercitationem vrgeo. Magnis enim his viris non in mentem venit illius, et ne verbo quidem mentionem eius faciunt. Expectant igitur pueros atque iuuenes in lectionibus sane non alio modo, quam histrio spectatores et auditores ludi scenici. Vt enim hi, praefulta nulla fabulae agenda meditatione, publicum spectaculi videndi locum, siue caueam, intrant, illamque non eo consilio, quamuis sexcenties dicas, relinquunt, vt virtutis studiosiores, honestiores, melioresque euadant, sic illi infelicissimae sane disciplinae alumni, illotis, vt loquuntur, manibus, libros tractandos attingunt, et, scholis finitis, nullam operam, nullum tempus amplius impendunt, vt, si quid perceperint, in memoriam reuocent, illique grauius, altiusque imprimant. Sed rideant. Quid est, quod me moueat, et male habeat istorum opinio? si veritas mecum stat, habeo, quod gaudeam, non quod inuideam, aut irascat. Ego in vniuersum hoc animo sum, vt, si quis sit, qui non omnia in omnibus eadem, quae maiores, sentiat, ac dicat, sed, detectis illorum *veris*, non *opinatis*, erroribus, a partibus antiquitatis recedat, eo ego non minus delecter, quam si ipse verum indagasset, sin quis sit, qui inconulto, et friuole vetustatis venerandae auctoritatem, in *rebus scholasticis*, quas solas iam curo, vexet atque minuat, ego non possim non illi fortissimo animo contradicere, illatamque maioribus iniuriam vindicare. In hac causa, quam in praesenti ago, sibi sapiat recentioris aetatis emendator personatus, quicumque velit, ego sequor maiores, qui *Praeparationis*, atque *Repetitionis* necessitatem vnicuique discipulorum, qui modo aliquo cum fructu lectionibus interesse constituerit, omni verborum grauitate atque copia iniungunt. Recte profecto, ac sapienter. Quod si enim Cicero Off. I. 2. prudenter iudicat, dicens: *in omnibus negotiis, priusquam adgrediare, adhibenda est* PRAEPARATIO DILIGENS, consilium hoc, in literis colendis etiam, erit saluberrimum. Accessurus enim ad lectionem frequentandam discipulus, si ante illam meditationi

studuerit, prius sentit difficultates; quam explicentur, indidem facilius illas intelligit, quam, qui ab illis oppressus fuerit, totum loci, aut doctrinae ambitum, licet non expressum, adumbratum tamen, iam tenet, antequam magister absolutae eius descriptioni operam det, et hinc mirum quantum perspicientiae consulit. Ipsa *attentio* multum nititur *praeparatione*, quam si quis intermiserit, fieri non potest, ut faciliora a difficilioribus eadem diligentia semper distinguat. Huic accedit, quod, si *repetitionis* Pythagoricae assiduitate obliuionis iniuriae, memoriaeque perfidiae resistit, res perceptas atque cognitatas, earumque notas, ingenio sic mandat atque tradit, ut non facile recordatione illarum vacillet, sed semper in promptu habeat, quod e lectionibus ad usum in scribendo ac dicendo conferat. Iam, quid moror in iis, quae dudum constant, quibusque nemo sapientiorum vnquam assensum denegauit? hoc potius agendum est, ut planum reddam, *Certamina Scholastica* tam salubria, tamque frugifera esse, ut his duabus alumnorum nostrorum virtutibus, *Praeparationi*, atque *Repetitioni*, inseruiant. Sed quis est, qui tam egregie expertus et ignarus sit animi puerilis, atque iuuenilis, quin probe sciat, illos, generosae ambitionis aculeis impulsos, non tanto odio fugere in literis, quam vocemus, *ἀνεύθετα*, quanto a natura in illam ferantur? ut aliis anteponantur, ut digniori, ampliorique loco collocentur, aut pristinum recuperent, quam studiose allaborant! *Ascende!* quae suavis vox! quam titillat iuuenis aures! Descende quem terrorem infert! quo pudore suffundit faciem iuuenilem! vix retinentur lacrimae! quot igitur, et quantae sint molestiae, quae cum *Praeparatione*, et *Repetitione* tam honestae indolis discipulis videantur coniunctae, in tot, et tantos labores, ad illas superandas, in-cumbunt, ut industriae assiduitatisque praemium *certando* reportent honorificentissimum. Atque haec sunt, quae pro bona *Certaminum Scholasticorum* causa dicenda censui, *alunt aemulationem, incendunt attentionem in lectionibus ipsis, et iniungunt praeparationis et repetitionis necessitatem.* Facio igitur cum *Rollino*, vno optimorum, inter recentiores, scholarum magistro, qui in tradenda artium liberaliorum docendarum et discendarum ratione vehementer dolet, *hunc morem, quo iuuenes in scholis de locorum in classibus dignitate decertent atque contendunt, in plurimis illarum esse abrogatum*, et quilibet bene animatus, qui tria haec argumenta, quae iam attuli, debita accuratione secum perpenderit, mecum consentiet, nil aliud magis esse optandum, nisi, ut eiusmodi incitamenta

AVCTORITATE SVPERIORVM PVBLICA (suo enim impulsu inflitucnda vnicuique magistro non suadeam) SANCIAVTVR, ET SANCITA OBSERVENTVR.

Vix credam, his disputatis lucem deesse, aut quemquam reperiri, qui de *utilitate* horum *Certaminum* adhuc dubitet. Quoniam vero collustrationi, quam ex graecarum antiquitatum monumentis me adiectorum promisi, permagna est Suauitas, hinc facile veniam eius me impetraturum spero. Omnium intelligentium, et de vera partium Humanitatis indole omni fide atque integritate iudicantium consentiens vox est, auctores graeci et romani si inter se de ingenii praestantia contendant, non esse ambiguum, ad quos principatus sit deserendus. Fuerit quidem semper, (et vel ipse *Cicero* noster, Graecorum alias studiosissimus, nimio Patriae amore deceptus, initio *Tusculanae primae*, ex illorum numero est,) quos Romani defensores nanciscerentur, qui quae aliquos saltem illorum scriptorum excellentissimis Graecorum praepo- nendos contenderent, sed Summi Viri, subtiliori sollertiorique comparatione instituta, maxima vi Graecis antiquam principatus possessionem vindicarunt. Contulerunt non modo vniuersos Graecos cum vniuersis Romanis, sed etiam quosdam de principibus vtriusque gentis scriptoribus commiserunt, vt inter doctos extra omnem dubitationem sit positum, quin Romani quam longissime superentur a Graecis. Saepe vero mihi cogitanti, quae tandem causae fuerint, cur Graeci euaderent illi, in quibus summa ingenii humani vis, et quasi mensura exstaret, duarum praecipue in mentem venit, quarum quaelibet eiusmodi est, vt perspicuum faciat, facile fieri potuisse, vt, quantum a Romanis fortitudine atque potentia superarentur, tantum his praestarent ingenio atque doctrina. Prior quidem latet in *admiranda seruois litterarum maturitate, atque diuturnitate*. Omnibus graecae historiae documenta diligenter edoctis satis superque cognitum atque certum est, Graecos, simulatque *Orpheus et Musaeus*, Poeseos suauitate atque incantamentis adiuti, illorum viuendi rationi ad humanitatem fingendae, Numinisque supremi, quas huc vsque sibi formatas tenerent, notioni- bus emendandis, operam studiumque adhibuissent, maxima, et omnem fere fidem humanam superante, celeritate, ad tam altum eminentiae in arte poetica gradum esse euectos, vt *Homerum* haberent, qui vel adhuc omnis poetici leporis venerandum exemplum, et praestantissimi

hominum studiorum, atque morum, nec minus antiquae Historiae et Geographiae, doctoris nomine celebretur. Quis ardor! quis non tam progressus, quam potius volatus, ex incunabilis doctrinae, ad eius adultiorem aetatem! quae huius feruoris literarum *maturitas!* iam porro respicias ad eiusdem inter hos populos bonarum artium studii *diuturnitatem.* Nimis angustos terminos huic constituere mihi videntur, qui ingenii Graecorum gloriam ad sublatam vsque ab *Alexandro* libertatem continuant, durauit potius vsque ad Romanorum expugnationem *Corinthi*, aut, vt alii malunt, vsque ad *Chrysofomum*, cuius aetas in extrema saeculi post Christum natum quarti tempora incidit. Per quot igitur tempora vagata est Graecorum literarum colendarum assiduitas! *Homerum* inter, atque *Chrysofomum* duodecim amplius saecula interfuit. Quid igitur in literis efficere potuerunt Graeci, qui non solum prius statim reipublicae initiis illarum suauitatem iucunditatemque cognouerunt, sed etiam tenerrimum illarum num paria deprehenduntur? quiaque iam saecula erant, ex quo Roma erat exstructa, et vix tunc temporis habebat *Liuium Andronicum.* Bellica enim virtus, et rei militaris vsus, cloquentia quaedam, nullis artis regulis innixa, et bonarum, graecarum tamen, legum obseruantia, hae solae erant virtutes, quibus huc vsque inter reliquos Italiae incolas exsplenderent Romani, et, teste *Sallustio* in *Catilina*, *prudentissimus quisque negotiosus maxime erat, ingenium nemo sine corpore exercebat, optumus quisque facere, sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.* Quam diu vero floruit ingenii Romani gloria? inde a temporibus tertii belli *Punici*, vsque ad aetatem *Augusti*, vt vnius prope saeculi finibus contineretur. Quae differentia inter Graecos et Romanos, ratione habita *maturitatis*, atque *diuturnitatis literarum feruoris!* quid haec conferre potuit ad tam iniquum certaminis exitum, vt Romani longe inferiores decedere cogerentur! Sed posterior causa, cur Graeci hanc eruditionis palmam Romanis praecipiant, quam in praesenti prolusione maxime spectamus, cernitur in *fructu certaminum ingenii in ludis Graecorum publicis.* Quis est, qui ignoret locum *Ciceronis: si Fabio, nobilissimo homini, laudi esset datum, quod pingeret, an consensimus, non multo etiam apud nos futuros Polyctetos et Parrhasios fuisse?* Non opus est, vt multis dicam, eruditis, licet fuerit in Originibus *Catonis*, poetas a *Marco Nobiliori* in prouinciam esse deductos, sequen-

fequentibus tamen temporibus aliquem apud Romanos existisse honorem, et recitationibus, quae dicantur, in publicis porticibus institutis, permultum fuisse inuitamenti. Sed haec omnia si contuleris cum gloria atque praemiis, quae Graeci in ludis inter eruditos distribuerunt, quid insignis, quidque praeclari habent? fuisse enim in his corporis exercitationibus publica quoque *ingenii certamina*, praeter *Herodoti*, in Olympico conuentu Musas suas, teste *Suida*, recitantis, et supra iam nominati, exemplum, ex *Aeliani*, *Xenoclis* et *Euripidis* certamen Lib. II. cap. 8. recensentis, lectione neminem, fugit, a *Christiano Gottlieb Schwarzio*, immortalis eruditionis, ex instituto ostensum de certaminibus veterum poetarum atque oratorum, et, quamuis illorum praemia, ne victores magis utilitate et lucro allecti, quam virtute et gloria incitati, sese exercuisse viderentur, non auro, vel argento, sed mera corona, ex *oleastro* confecta, continerentur, gloria tamen tanta sequebatur victores, ut non solum, *Cicerone* auctore, *Olympiorum victoria Graecis Consulatus ille antiquus videretur, et Olympionicam esse, apud illos maius esset, et gloriosius, quam Romae triumphasse*, sed etiam, *Isocrates* *περὶ Ζεύους* monente, haec praecipua causa censeretur mereatur, cur Graeci *et opera suas, et vires, et ingeniorum dexteritatem tantopere ostentarent*. Quid igitur? talia si ad *Certamina Scholastica* translulero, cum *Tityro* non canibus catulos similes, non matribus hoedos credam? non sic magnis componere parua videbor? minime. Pueri atque iuveni *nostro* locus in classe superior instar *oleastri* est, et *Olorus, Thucydidis* pater, non vnus est, cui de filii generositate sit gratulandum.

At vero, quamuis haec omnia optime se habere videantur, tamen, si argumenta in partem contrariam afferri possunt, aut allata sunt, praeter veri similitudinem nihil in illis inest, de quo gloriantur. Fac igitur, *Leclor Humanissime*, ut, cum talia causae nostrae euenerint, mecum descendas, Spectator, in arenam, me non tantum ad dicendum, et scribendum, sed etiam pugnandum, et dimicandum, maxime in rebus scholasticis, promptissimum paratissimumque habebis. Res mihi est, ut iam supra dixi, cum Viro; magnis ingenii ornamentis praedito, qui ab hac ratione dissentit, cuiusque auctoritatem apud multos multum valere, et valere oportere, largior. Sed, quoniam inuentutis instituendae formandaeque salus omnem aliam mentis exercitationem, et grauitate, et praestantia, longe multumque superat, in hac
causa,

caussa, tametsi cognouimus auctoritatem contrariam vel doctissimi clarissimique Viri, tamen, omiſſa illa, ipsa re, et ratione exquirere debemus veritatem. Quid igitur ait Aduersarius? *Certamina utilitatem totius classis nimum quantum impediunt, illique magis obsunt, quam profunt.* Verba pondere grauiā! quae si veram huius *Commissionis Scholasticae* naturam atque indolem complecterentur, ego sane mihi religioni ducerem, vel verbum *de* illa, multo magis *pro* illa, dicere. Sed non est, quod pauca, rationes huius opinionis, quae proferuntur, examinandae sunt. Aliae illarum spectant discipulos, *ingenii felicitate ornatos*, aliae, *de naturae, in distribuendis animi dotibus, parsimonia conquirentes*, et eodem ordine illas iudicandas proponam. Age, *ad* illas disciplinae alumnos si respexeris, quas inuidiae tempestates Aduersarius *Certaminibus Scholasticis* conflat? num dissipandae et dispellendae sunt? In primis vero opus est, vt, quo maior mihi in sequentibus habeatur fides, ignorantiam quandam fatear. Placuit nimirum Aduersario, discipulis *ingenii alacritate instructis* alios adiungere, quos eiusmodi vocat, qui *fortuito* atque *temere* progressus in literarum curriculo fecerint. Quis vero hic casus? quid hic inopinati? non in ipsa animi facultatum excellentia, et vltimorum magistrorum fide, maturitatis disciplinae causa latet? splendida, et admiranda, qua ab Summi Dei benignitate praediti sunt, ingenii bonitas, et institutio praceptorum, captui puerili atque iuuenili accommodata, tanto liberalium artium amore illos incendit, tantisque viribus instruxit, vt omnia impedimenta, omnesque difficultates atque salebras facili negotio tollerent, iisque sublatis, tanta celeritate in spatio decurrerent, vt reliquos magno post se relinquerent interuallo. Sit tamen, vt eos sic nominet, fortasse ego tam hebetis, tanque tardi ingenii sum, vt causam huius denominationis non intelligam, non ignarus, quam *mente caesa* sint *fortuita*. Quid igitur detrimenti asserunt *Certamina Scholastica*, ratione habita horum puerorum atque iuuenum? *reliquis omnibus semper praefertuntur, et ex aliorum locis indignioribus fructum aliquem oculis capiunt.* Duo igitur sunt, quae monentur, sigillatim illa tractemus. *Reliquis omnibus praefertuntur.* Quid? non digni sint, qui *praefertuntur*? nullam virtus aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae, qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? *vera virtutis merces gloria est, nec quidquam est aliud, quo*

magis

magis ad recte honesteque agendum praestantis animi homines incenduntur — honores alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria. Facias, ut magister obtusi atque vassi ingenii discipulum non minoris pretii habeat, quam acris atque venusti, quo incitamento utetur? puer et iuuenis liberalis, et capeffendis artibus accommodati ingenii, si animaduertit, se gratia atque fauore non plus posse apud magistrum, commilitone; lento gradu incedente, animo frangitur, illoque fractus, vires, amplius intendendas, remittet, et discipulus, mentis tarditate qui retinetur, si cognouerit, se a praeceptore haud impari studio atque voluntate dignum putari, commilitone, celerioribus passibus campum Humanitatis peragrans, non adeo multum industriae atque assiduitatis impendet, ut ingenii duritiem emolliat. Sapientia, qua diuersam amoris, atque certi cuiusdam honoris mensuram magister inter discipulos iuste distribuit, permultum valet ad augendam discendi cupiditatem, et, quo minorem, eamque externam, inter illos statuit atque obseruat dignitatis cuiusdam differentiam, eo plura ipse affert disciplinae impedimenta. Immo mature sic discit deterior, cedere meliori, quo modestiae, atque moderationi in iudicando de se ipso, in vitae consuetudine non negligendae, consulitur, praestantior vero si solus praefendus semper agnoscitur, docetur, veram hominis dignitatem in virtutibus esse positam. Sed ex aliorum locis indignioribus fructum aliquem oculis capiunt, et sic illiberalissimorum hominum, quid? quod, monstrorum humanitatis, ex aduersa aliorum fortuna voluptatem percipientium, similes formantur? recte iudicas, Vir Doctissime, istiusmodi bestiae, ex societate humana magis sunt auferendae, quam in illam inferendae, et ego odio grauiori, quam Vatiniario, istos homines persequor, — detestor, tanquam pestem ciuitatis, sed (ne tamen iniqui feras) meram fallaciam accidentis, ut Dialectici loquuntur, committere mihi videris. Hic est prauus usus certaminum scholasticorum, qui, ut seis, vel optima corrumpit, nequaquam vero finis, quem illis consequendum putemus. Puer atque iuuenis si eiusmodi quid prodit, culpam sane non huic luctationi scholasticae, sed sibi contrahit, luculentissimum animi improbitatis atque malitiae documentum exhibens, sed vel huic praeceptorem mederi posse, persuasum habeo, si postremum ex illis monitis, quae in fine huius disputationis addam, tenendum obseruandumque duxerit. Iuuenis contra probe educatus diuino ingenii praestan-

praestantioris beneficio gratus gaudet, ac, tantum abest, vt inferiores dotibus centemnat, vt magnam voluptatem percipiat, quod virtutis exemplum his ad intuendum imitandumque praebeat. Haec igitur sunt, quae *Certaminibus Scholasticis*, quod attinet ad discipulos, *ingeniū felicitate ornatos*, obiiicienda sunt visa, nunc progrediamur ad damnum, quod illis infligere putantur, qui *de naturae, in distribuendis animi dotibus, parsimonia conqueruntur*. Quale est? *hi animo deficiunt, atque concidunt*. Audiamus *Quintilianum: non semel erat decretum, tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem, ita nec superior successu curam remittebat, et dolor victum, ad depellendam ignominiam, concitabat*. Itaque, nisi fallor, noua adest *fallacia accidentis*. Consilium, quod magister *certando* impetrandum spectat, cernitur in eo, vt languidi atque dormientis ingenii discipuli excitentur, et moneantur, ad iter persequendum. Quodsi animum demittunt, omnemque spem deponunt, cum proficiscentibus sunt comparandi, qui cum prima quidem luce dare se viae constituerint, aliosque, ipsos vt expergefacerent, rogarint, sed, illis accedentibus, desperant, se posse lectos relinquere, et dormire pergunt in vtramque. Sed videamus rationes, cur huiusmodi discipuli rebus suis diffidere videantur Aduersario. *Omnem*, inquit, *operam, quae modo in ipsorum vires cadere potuit, adhibuerunt, vt ad altiore locum escenderent, neque eo minus, cum opprobrio quodam, vel infimum occupare coguntur*. Primum vero, quis est, qui nobis spondeat atque praestet illorum industriam? ipsi? commilitones? testes sane *loquacissimi*, sed non *locupletissimi*! deinde, fac, vt omnes animi facultates vere intenderint, illis tamen non sit iniuria, si locum iustum inter *ignobiliores ingenio* obtinent, nam vel *conditionis inferioris* varii sunt gradus, modo ne praeferrantur, aut saltem pares putentur, dignioribus! nimis facilem te nominem, qui mercenario, aut alii, quem conduxeris, integro opere, aut penso, non confecto, integram mercedem soluendam censeas, quoniam ipse dixerit, se pro viribus laborasse. Puer, prorsus ineptus ad literarum studia compertus, deferat Musarum campum, leuioraque feligat, tarditatem vero, dici non potest, quam facile assiduitas nunquam remissa superet. Ecquid vero hanc inflammat, atque alit? honoris cupiditas, a natura insita. Quid hanc fouet, atque auget? victoria *Certaminis*. Iudices igitur, *Leitor Humanissime*, quantum distent Aduersarii (id quod vera modestia, atque humanitate dictum

dictum velim) argumentationes ab re ipsa, atque a veritate, nam, quae adhuc adicienda censuit, ea multo strictiori modo tractanda videntur. Sic pergit: *industriæ totius classis non proponuntur iusta præmia*. Quare non? nonne iis, qui responsionibus *industriam*, in rebus percipiendis collocatam, comprobarunt, dignissima assignantur loca, indigniora vero iis, de quorum *assiduitate*, ob responsionum peruersitatem, magistro, homini, semper est dubitandum? fortasse vero infirmiores *mentis imbecillitate*, non defectu *industriæ*, sunt impediti, quo minus accuratius soluerent quaestiones, a præceptore formatas, et fortasse validiores *ingenii docilitate*, non feruoris magnitudine, sunt adiuti, ut magistro interroganti probarentur, et tunc *ingenii dotes* schola remuneratur, quod absurdum videtur Aduersario, *quoniam bona diuina non sunt præmiis ornanda, sed iusta ratione aestimanda*. Quid? fortasse? fortasse? deinde, mihi crede, vel *iustissima ratione in certando aestimantur munera diuina*, neque *haec* præmiis afficiuntur, sed *illorum usus*, atque *accommodatio*, de qua magister nulla certiori grauiorque conditione iudicare potest, quam si discipulorum responsiones in consilium vocarit. Dotes denique, diligenter excultae, si præmiis caruerint, studium frigebit. Poetae nascuntur, sed his eripe *Maccenates, Marones* decerunt. Generis nobilitas, a Deo concessa, principum iudicio ac gentium integrarum existimatione praefertur aliis, idque iure, si maiorum imagines virtutibus suis renouarint. Immo vero Numen ipsum quo plura fuit dona largitum, eo grauiora non exigit modo, sed etiam eo benignius refert, ubi fuerint praeclare collocata. His igitur habebas, *Vir Doctissime*, quibus occurrendum putauit TVIIS dubitationibus, contra *Certaminum Scholasticorum utilitatem* in lucem adspexitque editis, TIBI vt satisfaciant, in commodum bonae causae, quam suscepi, vehementer opto.

Omnia alia, quae simili ratione ab aliis proferri possunt, minorem animi attentionem postulant, et, licet non meum sit, illorum, quoniam non continentur diatribe, in qua refutanda animus iam fuit occupatus, mentionem facere, tamen, cum facile cuidam succurrere possint, illorum reprehensioni paucis adhuc studuisse non poenitebit. Dicit aliquis: *augent Certamina fastum atque superbiam discipulorum*, manifesto vero confundet *honestam gloriae cupiditatem cum arrogantia*,
 C 2
 quae

quae hic maxime sic differunt, ut illa bonis, haec pravis artibus, nitatur. Neque maiori veri similitudine alius contendet, *Certamina instillare discipulis inuidiam*, nam is parum obseruabit discrimen, quod bonam aemulationem inter atque odium, aut liuorem, intercedit. Plura, quae scrupulum iniicere possint, ego non video, et licet fortasse quaedam adhuc supersint, haec tamen omnia ad eandem fallaciam, quae rei per se non conuenientia tribuit illius indoli atque naturae, reuocanda puto.

Antequam vero finem huic disputationi impono, non superfluum videtur, nonnulla *monita* addere, quorum obseruatio ad augendam amplificandamque *Certaminum Scholasticorum utilitatem* multum conferre mihi videtur. Primum quidem est, *ne nimis frequenter habeantur*. Neminem fugit, quantum grauitatis, quantumque gratiae, hominibus, sensibus adhaesactis, secum afferat, quod raro eueniat, tantum dignitatis, tantumque studii detrahi illi, quod saepius accidat, maxime in puerorum, atque iuuenum animis, qui, vlti nondum subacti, verum pretium vel utilissimis rebus statuere nesciant. Loca igitur discipulorum si nimis saepe permutantur, tam praemio, quam poenae, multum subducitur, quod illis sensus diuturnior concessisset. Alterum est, *ut inopinata instituantur*. *Quintilianus* quidem paullo ante dicebat: *tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem*, ut inde colligere possis, diem fuisse, qua eiusmodi *Certamina* spectarentur, ego vero multo conuenientius existimo, illa haberi tempore non determinato. Solent enim pueri, et iuuenes, qui fugiunt labores, industriam differre in crassinum. Quodsi igitur sciunt, quantum temporis diem *Certaminis* inter atque praesentem interfit, *repetitioni* saltem laxam statuunt. Opprimantur igitur a *certandi* necessitate, ut, in seipso, quando eueniat, singulis diebus semper industriae operam dent. Tertium est, *ut serio, atque grauiter inueantur*. Nemo alteri, quem memoria deserit, quid suggerat, nemo superiorum responsionem clamore occupet, nemo rideat, multo minus cachinnetur, aut lusu interesse putet, quo alterum currendo assequi studeat. Seueritas, atque grauitas quaedam in talibus si desiderantur, non modo deest illis, nescio quid, solemnitatis, sed etiam fini ne vilo quidem modo respondent. Quartum denique est, *magister, siue ante Certationem, siue post illam, habeat*

beat oratiunculam, qua aut verum praesentis exercitationis consilium, atque fructum exaggeret, atque augeat, aut prauum eius usum dissuadeat, discipulosque, illo ut abstineant, moneat. Cum primis vero partium studium vitet praceptor, ne, parentum donis, aut gratia, corruptus, locum digniorem *variis artibus* filii attribuat. Sic illius exillimatio deminuitur, discipulorum languet alacritas, quod utilitate, non vera praesantia, duces moueri sentiunt.

Iam illicet, missum est Certamen. Restat, ut indicem propositum, quo ad hanc disputationem scribendam accesserim. Crastina luce redibit dies saluberrimarum perpeffionum Seruatoris memoriae sacer, cuius publicae solemnitati alumni Lycei Torgauiensis addere solent beneficiorum *Schroederi*, Rectoris quondam meritissimi, annuam praedicationem. Itaque et pietate in Optimum salutis Instauratorem incensi, et grato animo in beneficiorum scholasticorum auctorem impulsis, specimina in declamando edere constituerunt quatuor sequentes iuuenes, et ab honestatis gratia, et industriae laude commendandi. Dicent nimirum

- I. MICHAELIS GOTTFRIED KOERBITIVS, Torgauensis, *de gravitate testimonii Christi de se ipso coram Pilato*, Oratione latina, cui simul adiicit gratiarum actionem, dicens Lyceo nostro Vale.
- II. IOANNES GOTTFRIED FIEDLERVS, Cauertitienfis-Misnicens, *de dignitate Christiani ex dignitate Seruatoris*, Oratione germanica, qua finita, testabitur gratum animum, Lyceum cum Academia commutaturus.
- III. IOANNES GOTTFRIED PALMERVS, Doebeltitienfis-Misnicens, *de rationibus utilitatis perpeffionum Christi deductis ex Ies. LIII, 12.* Oratione latina, abeuntibus amicis felicem literarum Academicarum successum precabitur.
- IV. FRIDERICVS GOTTLIEB LIEBSTEINIVS, Torgauensis, *de valore precum ex salutari morte Christi deriuando*, Oratione germanica.

Quos iuvenes vt *Patroni*, atque *Fautores* Lycei, cras, finitis post meridiem sacris, beniuole audiant, humanissime oro rogoque. Simul vero cum semper in optatis habuerim, vt sumtus discipulorum, in tristem atque lugubrem parietum auditorii ornatum, eumque, non ex testamento *Schroederiano* curandum, sed, nescio inde a quo tempore vsu tantum, atque more receptum, crastino die impendendi, minui sufferrique possent, ab omnibus, qui praesentia sua, nobis perhonorifica, iuuenum nostrorum industriam, animumque scholasticum, augere constituent, in commodum publicum hoc petere liceat, vt, ad comparandum eiusmodi ornamentum, liberalitatis atque munificentiae, aliis temporibus a nobis iam agnitae, documenta, in theca nummaria, ante auditorii ianuam apposita, scholae exhibeant, certissime persuasi, quicquid ludis, eorumque alumnis, in subsidium praebeatur, id in honorem literarum, quid? quod, coniunctae cum illis Religioni, dari. P. P. Torgauiae, a. d. XVI. Kalend. Maiar. A. I. S. MDCCCLXXXVIII.



AB: 155056

ULB Halle

003 085 112

3




TR → SL
Nov 75 Hll /

VD 77

R







DE
62
CERTAMINVM
SCHOLASTICORVM PRETIO

DISPVATIO SCHOLASTICA

QVA

AD SOLEMNEM IV. IUVENVM IN DECLAMANDO
EXERCITATIONEM

BENIVOLE AVDIENDAM

HVMANISSIME INVITAT

CAROLVS HENRICVS SENTENIS

AA. LL. M. LYCEI TORGAVIENS. RECTOR.



LIPSIAE,

IN OFFICINA IACOBÆERIANA.
MDCCLXXVIII.